

DE

TYMPANITE

QVAM

D. O. M. A.

CONSENSV GRATIOSAE

FACULTATIS MEDICAE

PRAESIDIO

IO. GOTHOFREDI BERGERI,

D. THERAPEVT, PROF. PVPL.

ORDIN. MED. SENIORIS, ET H. T. DECANI

ATQVE


RECTORIS MAGNIFICI,

DN. PRAECEPTORIS AC PROMOTORIS
SVI AETATEM VENERANDI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
RITE IMPETRANDI

P. P.

IO. CHRISTIANVS  Stiffer /

SAXO WENDELSTEINENSIS.

IN AVDITORIO MAIORI.

HONORIS ANTE ET POST MERIDIEM SATIS.

A. D. XXIV. APRIL.

VITEMBERGAE

Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHEI.

A. S. R. cl5 15 CC.

TYPING UNIT

BY

D. O. M. A.

GOVERNMENT OF CANADA

MINISTER OF MANPOWER AND LABOUR

OTTAWA

IN THE MATTER OF THE

PROVISIONS OF THE

EMPLOYMENT INSURANCE ACT

REGARDING THE

ESTABLISHMENT OF

A

COMMISSION

TO INVESTIGATE

THE

OPERATIONS OF

THE

UNIT



DE
T Y M P A N I T E
 DISSERTATIO SOLENNIS.

I.



Eri tantum ab *Hippocrate* tributum est, ut mortalibus vitæ, morborum, autem ægrotis autorem esse, pronunciarit; imo etiam membris & motum, & sapientiam eundem crediderit præstare. *L. de morb. sacr. & de Flat.* Equidem aerem, ut mortalibus vitæ, sic morborum esse causam, facile adducor, ut putem. Hoc enim ille generosus constituitur spiritus, quo pars melior lymphæ, magno naturæ artificio elaborata, atque a sanguine segregata, & collecta, compressaque intra angustissima longissimaque testiculorum fila, universe turget, & naturæ agro commissa, vivacissimi motus particulis cum totum intus uterum rigat, & fœcundat, tum in germine quoque muliebri vitæ choream inchoat. Quæ deinde nova spiritus una cum succo alibili, aere quippe vitali turgido, a matre accessione continuatur, quamdiu u-

tero foetus comprehenditur. Egressum vero matrice infantem eadem animabilis spirabilisque natura, cui nomen est aer, non tantum molliter exterius ambit, & complectitur, sed etiam intro, in pulmonumque, vesiculas, ad hauriendum spiritum aptissimas, inspirando fertur, ex iisque pars redditur expirando, pars altius in vasa penetrat, ipsoque sanguine concipitur, ut suo elaterio totam intus agitando humorum molem, vitalem illorum motum instauret, ac defendat. Quare cum pulsu cordis, quo interius commoti, atque exagitati humores in totum corpus distribuuntur, perennique circuitu vasa innumerabilia, in omnes corporis partes pertinentia, transeunt, id commune, habet respiratio, ut autore eodem doctissimo *Hippocrate*, cum a ceteris actionibus cunctis homines quiescant, quod mutationibus variis vita sit exposita, ab hac tamen sola actione nunquam desistant animantia, quin aut ducant spiritum, aut reddant. Per multum quoque aer confert ad felicem ciborum confectionem, quando non oris tantum cavum subit, sed etiam una, alimentis ventriculum, & intestina ingreditur, ac per spiratione etiam interiore colligitur, vique sua elastica poros ciborum, ac intervalla divellit, eorumque adjuvat solutionem, & canalem alimentorum placide inflat & diducit, atque ad continuandum recte motum, quo tum adstringit sese, tum relaxat, instigat, & sollicitat, & partim una cum chylo venarum lactearum fistulas intrat, partim vero reliquias ciborum, eodem adjuvante motu intestinorum, ad extrema

extrema usque , qua natura exitum patefecit , protrudit, & eliminat.

II.

Vt vero aer vitæ causa merito habetur : ita non raro morborum & mortis auctor existit , ubi a nativa sua , atque ad conservationem vitæ requisita , salubritate degenerat. Nam bene quidem temperatus, corpus mulcet & recreat, blandeque sanguinem exagitat, & totam intus humorum massam regit ac moderatur, & referatis occultis corporis spiraculis , quicquid superflui est ac effoeti, secum evehit , ac vitæ adeo diuturnitati permultum consulit. Quæ etiam causa est, quod illæ regiones, quæ ab aere tenui, puroque perflantur , saluberrimæ sint , & morbis attritos egregie reficiant , ac torpidos senum humores foveant & solentur. Unde Romanis Tabiæ , benigno & temperato aere celebres , indeliiciis erant : alii vero , quorum vires & rationes longinquam navigationem haud ferebant , Ægyptum commeabant , & cæli bonitate recreati , valetudinem , nullis adiuti remediis, recuperabant. Ita etiam qui ex Anglia phthisi & scorbuto laborantes in Gallias proficiscuntur , ii fere, hausto illinc aere puriori , convalescunt. In hunc enim aerem varia & multa terrarum orbis exspirat , quorum mixtione hic salutaris , illic insalubris infensusque reddi solet. Præsertim cum nec solis vi , nec ventorum iactatione satis purgatur , sed vel qualitatum

suarum immoderatione , vel alienis inquinamentis corruptione , vel anomalis atque mutationibus subitaneis , vel inconvenienti denique motu , in corpora sese ingerit , & cum solidi , tum liquidi , quibus illa constant , motum & mixtionem conturbat & pervertit.

III.

Merito autem ad aera flatum laudatus senex retulit , utpote qui nihil aliud est , quam aer , qui una cum cibo & potu intromissus in canalem alimentorum , vel ex eorum solutione , aut concursione luctationeque succorum contrariorum , ac perspiratione demum interiore , collectus , & aliis permixtus particulis , pansusque , partem , qua continetur , elatere suo nunc magis , modo minus , inflat & distendit. Atque is quidem non levem corpori utilitatem , quam paulo ante exposui , affert , in omni que ciborum solutione etiam sanis gignitur , ut rarissime reperias *Pomponium* quendam *Consularem Poëtam* , qui nunquam ructasse dicatur. Nec vero unius profecto incommodi , sed plurium morborum , ipsiusque aliquando mortis fit opifex , quoties maiori gignitur copia , hæretque alicubi in corpore , & cum proprium fontem , tum aliena loca vi impetit. Nam tametsi non accedendum iis putem , qui cum veteri pneumaticorum secta morbos in universum omnes flatibus suam debere originem existimant ; quo etiam cum *Jo. Fiene*

Comment. de Flat. inclinare video. *Wilhelmum ten Rhyne* *Diss. de Artbrit.* tamen illud iure affirmari posse opinor, quod eleganter *Doctiff. Pecklinus* tradidit *Obs. Phys. med. LVII.* Nullum tere esse morbum, quem non faciat, vel augeat concursu suo flatus. Nec enim ullam fieri humorum luctationem, unde plerique oriuntur morbi, videas, quin ingens illico flatuum copia prodeat, quæ vel prioris morbi vim augeat, vel alium, sæpeque graviolem inducat. Id quod illi inter ceteros affectui, qui a loco, in quo potissima eius symptomata se exerunt, nomen sortitus est, & hypochondriacus vocari consuevit, adeo quidem familiare est, ut nomen inde aliquando apud Græcos soleat mutuari, & *Πυρῶδες πύθως* appellari; quemadmodum ex *Galeno* L. II. de *Sympt. caus. c. VII.* & locis pluribus aliis intelligas. Ipsi idem optime morunt ita laborantes, quorum non pauci in ventre, quam in folle, colligunt copiam flatuosi spiritus, proptereaque ex sententia *Hippocratis* & *Galeni* ventosi dicendi sunt, ac sæpe intus sonori atque ventriloqui fiunt, tantasque interdum furentium in ventre ventorum tempestates patiuntur, ut publicis propterea congressibus abstinere cogantur, & quidam eiusmodi perstreptentium intestinorum murmura & *Βορβορυγμῆς*, ac tempestates sonoras, dæmones esse finxerint, abdomine conclusos, alii foetum in utero vaguisse, crediderint. *Marcell. Donatus* duorum meminit hypochondriacorum, qui eo malo graviter divexati, se ranas in ventre habere, quarum ille sonus esset, affirmabant. *Hist. med. mirab. L. II. c. I.* Neque aliter existimasse ancillam

ancillam quandam hypochondriacam, auctor est *Brunnerus Consil. VII*, Aliud legitur exemplum apud *Gattinariam Prax. c. XVI*.

IV.

Ac bene quidem cum iis agitur, qui omnem hostilem spiritum vel clanculum cum reliquiis ciborum reddunt, vel etiam publicitus ano extrudere, aut ructibus explodere didicerunt. Videas tamen ea interdum copia spiritus illos impuros, & sylvestres, ut vocat *Hellmontius*, gigni, ut, quod de vento scribit *Seneca*, nulla teneri compage corporis, nullaque vi cohiberi possint, sed veluti ex inexhausto fonte protrudi videantur, nullo quidem corporis emolumento & commodo. Huius generis gravis est morbus, quem ructuosum vocat *Hippocrates*, existens ex cruditatibus & atonia ventriculi, succisque corruptis intestinorum, unde flatus multi levantur, tunicas ventriculi continuo distendentes, ex quibus ille dolet; mox erumpente in superiora flatu, ructus continui fiunt, sine levamento, quamvis inferiora magis magisque tendantur, tumeant; & strepant, nullo tamen cum crepitu, flatu, aut stercore prodeunte. Huius eventum mali prædictus senex ita describit. Neque spes ulla salutis, priusquam patiens dolorem evomuerit, & morbus quidem, qui iuvenem corripuerit, tempore decedit; si senio rem, commoritur. Neque vero levis est affectio, quam vulgo choleram ficcam appellant. Hac enim flatus ita insolescunt, ut ex utre
veluti

nullaque alleviatione corporis, fere continuo prorumpant. Vidi, inquit CL. *Pechlinus l. c.* aliquot horarum momentis flatus, natos alios ex aliis, alvum gulamque tam continuato impetu infestasse, ut veluti ex Aeolipila misfi, toti in ventum abiisse humores viderentur.

V.

Sed pessime omnium habent, quibus flatus intra ventrem coerciti, stipatique, suo elatere ita renitentur, ut excerni fugarique nequeant. Hinc enim tumor ille abdominis existit constans, durus, ac renitens, quo venter ita inflatur & tenditur, ut digito percussus, tanquam tympanum sonet. Unde Tympanites vulgo, atque ab *Hippocrate* ὕδρωψ ξύρως, hydrops ficcus, ab aliis flatulentus, nuncupatur. Idem vero laudatus *Senex*, aut quisquis demum auctor fuerit *L. IV. de victu Acut. t. 61.* etiam nomine cholerae siccae descripsit, quod valde tamen videtur ἀνεργον, quum alvus in tympanite sicca sit, & constipata, nec quicquam excernat. De quo quidem affectu cum, Deo benigne adiuvante, plura hoc loco dicere constituerim, primo praecipua Φαινόμενα, quae circa eum morbum deprehendi solent, recensebo, quo deinde ad causarum, quo sese ordine prognerant, evolutionem, ipsamque mali naturam & indolem, feliciter possim progredi. In quo sane ad curationem eius, recte atque ex methodo instituentiam, maximum positum esse momentum, optime prudentes intelligunt,

VI.

Illud vero fati, opinor, cognitum est, interdum subito hoc malum invadere, ita ut prima eius initia, vix advertantur, affectique vix prius se ægrotare sentiant, quam pene incurabiles fiant. Sæpius autem sensim accedit, & suos plerumque veluti præcursores habet, qui accessum ejus atque propinquitatem annuntiant. Fere enim iis idem timendum est, qui frequentes humorum in primis viis luctationes, indeque oriundos mugitus ventris, & borborygmos, ac tensiones, inflationesque, vagas initio, nec diu durantes, nunc hic, nunc alibi vellicantes, sæpeque exquisitis stipatas torminibus, quas passiones colicas, & hypochondriacas, vocare consueverunt, experiuntur. Hocque propius adesse malum putandum est, quo magis tormina iuxta umbilicum excruciant, laboresque ac dolores lumbos fatigant. Id enim experientia sæpius comprobavit, quod recte ab *Hippocrate* animadversum legimus *Apb. XI. S. IV.* Quibus tormina & iuxta umbilicum, circaque lumbos dolores sunt, qui neque medicamentis, neque alio modo solvuntur, iis in hoc ipsum genus sicci hydropis ista consvesse firmari.

VII.

Inter hæc abdominis moles ingravescit, & tumor exsurgit utrififormis, durus, ac renitens, itaque vehementer tensus, ut digito pressus, statim iterum attollatur,

tur, percussusque, tympani more resonet. Idem tumor æqualis prorsus est, ac veluti fornicatus, minusque gravis, quam in ascite, mole etiam minor plerumque, raro maior existit, & constans manet, quocunque etiam modo corpus componatur. Intus rarius fluctuatio quædam, quam *ἰδατισμὸν* apud *Calium Aurelianum* vocat *Soranus*, percipitur, sæpe autem rugitu venter obmurmurat, multa que flatuum indicia præbet. Nam frequens ructus desiderium est, nonnunquam etiam crepitus ano, quæ ceteroqui ficca atque difficilis est, mittitur, iisque editis, levare aliquantulum homo videtur, quamvis venter nihil detumescat. Pedes minus, aut nihil tument, raroque scrotum, ut in ascite, distenditur: sed potius graciliora fiunt extrema, & corpus totum arefit, atque extenuatur. Facies tamen non ita de naturali habitu recedit. Æstus nonnunquam ingens in hypochondriis percipitur, ac sensus quidam fervoris juxta præcordia, & umbilicum, interdum vero quidam algoris frigorisque sensus coniungitur. Spiritus difficilis est, somnusque levis, & plenus somniorum turbulentorum. Accedunt vigiliæ pertinaces, inquietudo ingens, palpitatio cordis, variatio pulsus, anxietas atque compressio præcordiorum, cardialgia, tussis inanis, singultus, vomitiones. In extremo gradu alvus constipata prorsus est, & dolores multum hinc exacerbantur, venterque ita mole & tensione augetur, ut minetur rupturam. Tum vero magna ingruit spirandi difficultas, atque ingens urget bibendi desiderium, & stillicidium adest urinæ, aut omnimoda suppressio, nec raro ileus sequitur, extremaque omnia expectanda sunt.

IIX.

Malum hoc aliquando per se incipit, nullo antegresso morbo alio, tumque morbi primarii locum tenet, interdum ex morbo alio antecedente ortum ducit. Inprimis vero ex colica accidit flatulenta, si diutius ea persistat, & ileo, ac febris, cum acutis, tum præcipue longis, succedit, ac præ ceteris biliosos, hypochondriacos, & scorbuticos, in quibus degeneres, acrioresve pariter, ac viscerum peccant succi, impetit, & tanto quidem facilius, quanto magis alimentis difficilis solutionis, ac pravi succi, nimirum acris, facile fermentescentibus, & acescentibus, pingvibus item, sulphureis, atque calidioribus, succos corporis exacuantibus, & inviscantibus, fruuntur, quove eadem avidius comedunt, ac devorant, & potus quoque generosi, liquorumque ardentium, & carminativorum, immoderato usu delectantur, ac præterea otio & ignavia torpent, aut vitam agunt sedentariam, & curis ac mœrore animum conficiunt, vel crebriore exagitant ira. Ab haustis etiam toxicis idem evenire malum, testatur *Cardanus L. II. de Venenis c. 1.* & aliunde notum est. Eiusdem quoque morbi causa subinde est aquæ frigidæ immodica potatio post æstum, atque exercitationem corporis. Inprimis vero multum ad eundem confert suppressio excretionum naturalium & consuetarum, per alvum, vesicam, & transpirationem corporis occultam, & ut summatim dicam, quicquid blandam ciborum solutionem infringere, & humorum quorum-

vis acrium, biliosorum, ac viscidorum collectionem & *σύν*, indeque oriundam *ζύμωσιν* præternaturalem, & magnam flatuum copiam excitare potest, tympanitem efficere solere, experientia commonstrat.

IX.

Quæ omnia exemplis illustrari possent, nisi brevitati studerem. Sed multo tamen hæc apparebunt evidentiùs, si ea quoque, quæ Anatome in cadaveribus hoc morbo defunctorum docet, in subsidium advocentur. Quo loco primum commemoranda est puella, quæ, ut auctor est *Ballonius Paradigm. 141.* feбри laborans continua, mox in eum abdominis tumorem incidit, ut præ dolore brevi interierit. Acu deinde compunctus venter, magno edito sono, ilico subsidit. Ita quoque *Vallesius Comm. in L. IV. de Vict. rat. in acut. p. 284.* & *Collado Advers. L. II. C. LX.* ex aperto simili cadavere aquæ nihil notatu dignum exiisse, sed crasso expirante flatu, totum repente ventrem detumuisse, annotarunt. Idem testatur *Helmontius*, qui instituta in viro, qui hydropticus censebatur, paracentesi, repente fidisse abdomen, atque ægrotum periisse, solo edito flatu immense, ut scribit, putrido, & cadaver olente, observavit. *Tr. Ignot. Hydr. n. 44.*

X.

Non vero e cavo tantum ventris, sed etiam e canale alimentorum, ventriculum puta, & intestina, coercitos prodiisse flatus, non una, sed plures medicorum

rum observationes attestantur. Inter has notatu digna est, quam habet *Platerus* de puero tympanitico, qui cum quatuordecim dierum spatio excrementa alvi per os evomeret, nec per secessum quicquam egereret, expiravit tandem. In hoc cum post mortem rugitus ventris, & illius quaedam palpitatione sentirentur, eoque nomine de sepeliendo corpore ambigeretur, & accersitus ille ventrem aperiret, flatus proruperunt. Intestina vero tantopere distenta apparuerunt, ut femoris crassitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compressione dirumperentur, stercusque magno impetu profunderent, aliis autem locis adeo convoluta, intorta & implexa, ut nulla illic, nec excrementis, nec flatibus deorsum pateret via. Sed & vermibus vivis oblongis quamplurimis repleta, hique rursus aliis minoribus referti erant. *Obs. L. III. p. 616.*

XI.

Quin & solus alimentorum canalis flatibus obsessus non raro deprehensus fuit. Ita enim laudatus modo *Platerus* in aliis quibusdam, qui tympanitici putabuntur, sectione cadaverum deprehendit, flatum nullum e ventris cavo erupisse, nec ventrem subsedisse, sed intestina, præsertim tenuiora, adeo flatibus distenta & convoluta prodiisse, ut in eundem ventrem reponi amplius nequirent, mirumque fuerit, quo pacto in ventre prius clauso adhuc contineri potuerint. Quæ & in quodam adeo extenuata ex summa illa dilatatione reperiit, ut non solum tenuissimæ instar vesicæ, vento inflatæ, & dilatatæ, pellucida essent, sed & compressione aliqua disru-

disrupta, stercora cum flatibus procul effunderent. *Prax. L. III. C. de Extub.* Sic etiam *Smetius* refert de puerpera quædam, quæ durante puerperio ex animi ægritudine & tympanitide mortua est, in cuius dissecto cadavere, in peritonæo extra intestina, ne guttula quidem aquæ, nec flatus quicquam inventum: verum universa intestinorum volumina, immo una ventriculus ipse, omnia flatu distenta, pellucida, & tantum non omnis excrementi vacua visa fuerunt. *Miscell. med. L. VII. Ep. IV.* Quorsum etiam pertinet exemplum de puero nobili, cuius meminit *Scholzius* in *Epb. Germ. D. I. A. II. obs. 86.* qui doloribus colicis & flatibus per aliquot dies misere vexatus, brevi deinde interiit. Dissecto cadavere, mirum quantum distentus ventriculus deprehensus, nihilque in eo, præterquam flatus & aliquid viscosi humoris, visum fuit, intestina autem omnia ita pellucida transparuerunt, ut etiam multis locis compuncta, statim conciderent, ne guttula quidem humoris alicuius in iisdem apparente, reliquis visceribus se bene habentibus. Simile quid *Hercules Saxonia* observavit in nobili Patavino, cuius secto cadavere, omnia intestina flatu plena, & distenta fuerunt, nihilque humoris continuerunt. *Prælect. Pr. P. II. C. 24.* Idem annotarunt etiam *Collectores Bibliothec. Anat. P. I. p. 97.* in virgine atrabilaria, quæ hypochondriorum obstructionibus, inflationibus, & menstruorum suppressione diu vexata, frustra adhibitis varii generis remediis, in hydrophem tandem siccum incidit. Aperto abdomine, intestina omnia flatibus admodum turgida cum impetu exilierunt, nec vel unica aquæ guttula in ea cavitate

te reperta est. Nec alibi corporis in virgine, quæ tympanitica obiit, flatus invenire potuit *Theophilus Bonetus*, præterquam in ventriculo & intestinis, quæ in immensum fere dilatata, facta compunctione, flatus cum sibilo & impetu emisere. *Anat. Pract. L. III. S. XXI. Obs. 22.* Ac opportune in mentem venit puellæ apud *Gvil. Fabric. Hildanum Cent. VI. obs. 74.* cuius abdomen in modum tympani extensum fuerat, idque propter flatuum in intestinis repletorum copiam, qui illis adeo tenaciter adhærebant, ut purgationi sæpius repetitæ ne quidem cederent, & post mortem acie scalpelli perfossis intestinis, vix efflarent. Non solum autem intestina flatu distenta erant, sed ipse quoque ventriculus. Hisque demum addi meretur analogum exemplum, quod habet *Ant. Benivenius Obs. c. 81.* quo loco ex solo vento, stomachum, ac intestina, & viscera reliqua, id quod inspe-ctio cadaveris docuit, incredibili extendente dolore, magnamque afferente spiritus angustiam, mortem subsequutam scribit, quem affectum ibidem in *Annot. Dodonæus* tympaniti similem non immerito iudicat.

XII.

Ex his constare arbitror, nulla idonea inniti ratione Doctissimum alioqui *Willisium*, quando tympanitem inter morbos reponit convulsivos, & nihil aliud esse opinatur, quam tensionem spasmodicam peritonæi, ac viscerum membranaceorum, hancque oriri statuit, quatenus in imo ventre spiritus animales, ad viscera membranacea, peritoneum scilicet, mesenterium & intestina spectantes, ab incongruo quodam in ætætiâ, sive inordinationes adacti,

adacti, fibras ubiqve nerveas tumultuarie irruant, ac inflent, nec statim denuo, succi nervei obstruentis vitio, ab iisdem recedant. Hinc enim putat peritonæum intumescere, intestina ampliata, distentaqve, velut inflari, ac mesenterium, aliaqve viscera membranacea, spiritu impetuoso turgida, in molem attolli: Atqve, dum hæc ita fiunt, ut vacuitates, a viscerum concavorum extumescentiis factæ, impleantur, humoris statim cuiusvis intus contenti portionem, in vapores rarefactam, ilico in flatus, spatia ista inania occupantes, cedere. *Pharm. Rat. P. II. S. II. C. IV.* Nam ut nihil addam ad eius rationes, quarum complures proposuit, omnes autem erudite, refellit *CL. Carolus de la Font, in Acad. Avenionensi Prof. Medicus Prim. Diss. de Hydr. Tympan. C. II.* non solum falso supposita, atqve constructioni partium prorsus adversa fibrarum nervosarum, membranosarum, aliarumqve a spiritibus animalibus, quos modo lucidos, modo sulphureos, nunc salinos, iam acidos, sæpe etiam nitrosos & explosivos, pro lubitu fingit, inflatio prohibet, sed & imprimis commemoratæ antea observationes vetant, quæ omnes non ex ægrotantium visitatione, & diligenti phænomenorum contemplatione, sed domi, & in muleo, ingeniose excogitatam, confictamqve esse illam *Willisii* hypothesein, dilucide ostendunt.

XIII.

E contrario tuto affirmari posse existimo, id quod tota antiquitas veneranda præcepit, causam tympanitis proximam esse flatus, ea copia in imo ventre genitos, & conclusos, ut, cum loco cedere nesciant, suo e-

laterio eundem, utrisinftar, vel follis, in tumorem eiusmodi durum, ac resonantem, attollant. Id enim prædictæ observationes loquuntur, quibus cunctis constat, coercitis intus, stipatisque flatibus, tumorem quoque in mortuis perstitisse, compuncto autem eodem tumore, & exitum invenisse flatum, & tumorem ipsum ilico omnem subsedisse. Neque vero mirum videri potest, durum adeo, ac pertinacem, constantemque tumorem ab aere eiusmodi crasso, & impuro, quem flatum appellamus, excitari. Nam quanta vis sit aeris elastica, & quantum ille sese, suaque, quibus comprehenditur, conceptacula, dilatare possit, ex vesica pene vacua, quæ collo illigato in campana vitrea, posita, exhausto aere ambiente, ita intumescit, ut tandem disrumpatur; inflatis item folliculis lusoriis, sclopetis pneumaticis, fonticulis artificiosis, aliisque pluribus experimentis, notius iam est, quam ut exponi amplius debeat. Quo vero clarius appareat, quantum in uno sæpe intestino vim incarcerati flatum exercent, commodum subit mentem, id quod *Petr. Papinius Prolus. med. §. 7.* annotavit, colici doloris fixi exemplum, sine crepitu, sine rugitu, ubi post mortem intestinum cæcum sic distentum flatibus apparuit, & divulsam, ut prænantem uterum fere æquaret, vixque fibræ inter se cohærent: sectis autem tunicis, interior conceptaculum, ingenti flavæ bilis copia refertum, deprehensum fuit.

XIV.

Ex iisdem prædictis observationibus, tum ipsa quoque morbi historia, illud præterea liquet, locum, quo flatus colliguntur, ventremque distendunt, & tumidum, ac resonantem, reddunt, nunc canalem tantum alimentorum, ac præcipue intestina, nunc unum cavum ventris constituere, & flatus plerumque solos, raro simul aquas in cavo ventris colligi, atque adeo falli, & minus cum experientia convenire, qui tympanitem nunquam sine ascite dari, affirmant. Quo loco non est, cur illorum morer opinionem, qui cum *CL. Sebizio, Spec. med. Pr. T. I. P. IV. S. 4. c. 18.* tumorem ventris a flatibus, in intestinis coercitis, tympanias nomine immerito appellari, existimant, cum tantum quædam sit intestinorum inflatio, quam *ἐμπνευμάτωσι* Græci quidam dixerunt. Nam satis est tumorem ventris adesse, eumque durum, ac tympani instar resonantem, a flatibusque productum, cum ceteroque perinde sit, sive in canale tantum intestinorum, sive etiam in capacitatem abdominis iidem consistant. In quo consentientem habemus, ut multos omittamus alios, *Fel. Platerum*, quum tria tympanitis genera constituit, primumque a flatu, in intestinis tantum consistente, alterum a flatu, & aqua, in cavo abdominis coacervatis, ac demum aliud a solo flatu, eodem concluso ventre, enasci statuit, *Pr. T. III.*

p. m. 282.

XV.

Non solum autem locum collectionis, sed etiam generationis, ac veluti mineram flatuum, canalibus alimentorum, ac præcipue intestinorum tubus, constituit, quo quidem conclusi, si exitu prohibeantur, subinde eos revolvi (*ἀνειλέεσθαι*, Hippocrates solet vocare, ad etymon τῆ εἰλεῖν respiciens) contingit: quæ flatuum in se veluti arietantium revolutio sonora illa murmura, & borborygmos intestinorum efficit. Quod si iidem tanta gignantur copia, ut eos intestina amplius continere nequeant, nullusque iisdem exitus pateat, capaciorem quæerunt locum, atque intestinorum tunicis, & coli imprimis spatiis, ob valvulosos ac cellulatos tunicarum processus, tum etiam segniorem motum peristallicum, incumbentes, fibras eorum exquisite sensibiles mirum sæpe in modum distendunt. Quo fiat necesse est, ut ingentia oriantur tormina, passionem colicam, nec raro iliacam referentia, unaque inflatio atque intumescencia ventris, & demum tympanitis consequatur, secundum sententiam Hippocratis laudato *Apb. II. Sect. IV.* Ut vero tunicis inhærentes intestinorum flatus, graves inibi distensiones ac dolores pariunt: ita in venas delati lacteas, vasa quoque sanguinis subire, ac totum permeare corpus, & diras non raro tempestates in corde, ac visceribus aliis, & ubique corporis, commovere possunt. Vidit CL. Pechlinus l. c. in hominis, a multis ventris doloribus, pectorisque angustiis tandem oppressi, dissecto cadavere, erupisse ex abdomine ingenti copia flatus, ac intestina omnia hinc

hinc inde iisdem turgida, ventriculumque totum, utris instar inflatum, cor etiam, a copioso flatu in immensum adauctum, omni vero cruore vacuum, fuisse, ac venas demum, toto corpore passim flatibus distinctas, mirificam succi purpurei, fluidique aerei alternationem oculis ostendisse. Neque improbabile est, flatus interdum per rupta, exesaque, vasa lactea una, cum aquis cavum ventris ingredi, aliquando etiam ex acinis peritonæi, pleuræ, & pericardii glandulosis cavitates, his membranis circumdatas, invadere, cum ex iisdem glandulis continuo mador exsudet, quo superficies membranarum humigatur, atque a concretione cum contentis visceribus præmunitur, ac defenditur. Ut minus fortasse aberrare videar, si ex iisdem fontibus interdum aquas repetamus, quibus ascites, hydrops pectoris, & hydrocardia gignuntur. Vnde iisdem in locis etiam flatus nonnunquam aquis permisti observantur. Sed fieri tamen vix opiner posse, ut, quæ aliorum est opinio, per cæcos meatus ventriculi & intestinorum flatus in cavum ventris penetrent, cum, constet, eos haud raro tenuibus valde membranis coerceri, hasque facilius sudorem & aquam, quam flatum, pervadere.

XVI.

Dum vero mineram flatuum primam corporis regionem, sive canalem alimentorum, constituo, minus iis adstipulor, qui cum *Galeno* flatum nihil aliud esse existimant, quam vaporem quendam, excitatum a calore

lore debili in materia humida & pituitosa, eiusque adeo materiam & matrem humorem pituitosum, patrem vero calorem debilem perperam appellant. Namque alia vaporis, sive aquæ, in congeriem minimarum particularum aquæarum, a se disiunctarum, ac celeriter agitatarum, resolutæ, alia flatus aerei est ratio. Quippe cum aeri, atque adeo flatui, rigiditas competat, & huius ratione vim quoque elasticam exercent; aquæ vero partes, nisi forte concretæ, ac conversæ in glaciem, molles admodum, & lubricæ, ac flexiles sint, in statuque naturali constitutæ, vix ullam sui constipationem ferant, nec tantæ rarefactionis sint capaces, caloreque agitatae, fluiditatem potius maiorem, quam rigiditatem acquirant: quæ omnia aliter se cum aere habent. Ut proinde multum fallantur, qui aquam, quum in vapores solvitur, in aerem, flatumque, mutari, existimant. Adhæc non tam debili, quam forti existente calore corporis, magnam flatuum copiam excitari, & ratio dicitur, & experientia docet, uti iam dudum a Doctiss. Guarinonio Consult. 563. Sennerto in Paralip. ad Inst. quest. 4, & Fienol, c. c. 5. demonstratum est.

XVI.

Quare rectius omnino illi sentiunt, qui a motu humorum, quo intextus cibus, vel humoribus aer, nexu particularum, quibus comprehenditur, solvitur & panditur, causam flatuum effectricem repetunt. Nam quo fortior, & vehementior motus, atque *δυναμὸς* humorum, hoc maiorem flatuum proventum & impetum exoriri videas. Quæ etiam causa est, quamobrem

rem flatus in prima corporis regione, veluti proprio diversorio, imperium suum exerceant. Est enim ibi, ut optime annotavit *Pecblinus l. c.* ille intestinorum angulus, in quo bilis, succus pancreaticus, lymphaque intestinalis, & quicquid desuper ex poris œsophagi & ventriculi destillat, perpetuo confluunt. Hinc statim, ubi vel lenior succorum fit luctatio, in primisque ubi male convenit humoribus, & læsa hinc inde qualitatum temperies acrius invicem effervescent, parata flatuum materia. Dum enim humores illi confluunt, & fermentationis, vel effervescentiæ motu agitantur, aer erumpit copiosus, isque impurus admodum, & variis particulis, potissimum autem viscosis, permixtus, irretitus, & conclusus, illam humorum massam in quam plurimas extollit bullulas, quæ quo superficiem orbemque nactæ sunt viscosiorem, hoc magis ab intestina illa vi elastica ampliantur, difficiliusque ob resistantiam viscida maiorem, discutuntur, quando flatus permutatione viscida non modo valde spissescunt, & crassi, ac nebulosi fiunt, sed etiam rarefactæ, distractæque pituitæ glutine detenti, & congregati, eandem in multas refractarias, sæpeque membranosas, vesiculas efferrunt, ac nullo patente exitu, constantem adeo tumorem efficiunt. Neque fere alia est ratio, quam obrem colica flatulenta, & tympanitis, adeo difficilem plerumque curationem admittant, nec raro in passionem iliacam degenerent, & ipsam subinde inopinatam mortem afferant. Cum enim, ut docte Celeberrimus *D. Schröckius* scribit, *Epb. Germ. D. II. A. I. Obs. 81.* pituita illa, quam vitream appellare quibusdam libuit, ob suam glu-

glutinositatem, difficulter eradicari queat, eo magis productæ ex eadem vesicæ, magis utpote condensatæ, & induratæ, & quasi membranosam indutæ naturam, medicamentorum operationi resistent. Id quod cum alios inter optime annotarit *Francisc. de le boe Sylvius Meth. med. L. II. c. 21.* tum vero expertus confirmat *Jo. Petr. Albrechtus Eph. Germ. l. c.* quando in dolore colico, indeque orto ingenti tumore abdominis, frustra adhibitis probatis aliisque remediis, usu tandem crebriore clysmatum, massam vidit excretam, ex multis contentam vesiculis, quarum maiores iuglandium, minores nucum avellanarum, magnitudinem excedebant. Hæque vesiculæ tam tenaciter cohærebant, ut nulla divelli opera possent, quin potius disrumperentur, mephitimque flatulentam cum insigni foetore emitterent; unde quidem initio corpori multum levamenti accessit, pauloque post optata sanitas rediit. Ita quoque *CL. Frommannus* in cadavere cuiusdam, flatibus misere divexati, ac tandem pereuntis, flatus annotavit adeo crassos, & viscosos incrustatos sordibus, itaque firmatos fuisse, ut per factum in tumenti flatibus intestino foramen nullus, nisi loco aperto vicinus, exiret, reliqui vero, quibus tumebant intestina, suam quasi possessionem obstinate tuerentur, turbationemque sui renuerent. *Eph. Germ. D. II. A. X. Obs. 204.*

XVII.

Pituita igitur propter ramosum suarum partium textum, potius retinaculum, quam mater atque materia, flatuum dicenda est. Quæ tamen propter conjuncta

iuncta falia varia, variis etiam humorum luctationibus ansam præbet, unde deinde bullulæ plures, vel pauciores, & plus minus viscidæ, ac contumaces, exoriuntur. Inter humores autem corporis, qui causæ effêctricis locum tuentur, ad generationem flatuum plurimum conferre bilem, cum ex natura huius salsa, volatili, & oleosa, & illorum pariter, ac huius sulphurea inflammabilitate, tum eleganti hoc experimento *Schuylii Provet. med.* constare potest. Nimirum, si secto canis vivi abdomine, intestinum duodenum filo uno haud procul a pyloro, alterove paulo infra insertionem ductus pancreatici, ligetur, & confuto deinde ventre, animal sibi relinqvatur, tribusque post horis vulnus illud iterum aperiatur, non interceptum tantum vinculis spatium ad rupturam usque distentum, sed etiam vesicula fellea admodum dilatata reperietur, cum urente veluti calore, ligatum illud, tumensque duodeni spatium occupante. Facta autem tumoris incisione, flatus, spumantesque bullæ cum strepitu, & sonitu prorumpent, ac valida quædam, acrive exhalatione nares vellicabunt. Vnde vim elasticam illius succi insignem haud temere coniicias. Id quod etiam *Sylvius* non fugit, quando modo haud plane absimili illi, quo pueri aquam, ope saponis viscosiorem redditam, in bullulas conflare solent, bilem statuit, iunctam pituitæ glutinosæ, ipsam rarefaciendo in flatus distrahere, atque hos deinde continuata rarefactione tandem, sponte rumpi, dum mox pituita, prius ita distracta & rarefacta, concidat, redeatque ad pristinam sui naturam & consistentiam; cessante tunc bilis actione pro-

pter defectum materiæ, in quam ita agat, nisi alii pituitæ parti sese insinuet, eamque similiter in flatum distrahat & rarefaciat. Quo tamen loco notandum est, ex pituita, a bile dissoluta, conclusum illius textu ramoso aerem pandi, atque in flatum abire, & horum deinde elaterio pituitam in bullas, & vesiculas, distrahi, atque ab alio quovis acri & organico humore idem, quod bili tribuimus, aliquando evenire.

XIIX.

Ex his nunc cuivis facile constare potest, in omnium ciborum solutione, etiam sanis flatum gigni, sed hoc tamen minorem eorum proventum esse, quo mitioris sunt indolis succi primarum viarum, quove iisdem citius atque facilius solutio ciborum, excretioque reliquiarum peragitur. Cum contra quo cibi diutius hærent, & moram nectunt in canale alimentorum, quove acrius inter se, vel cum humoribus corporis, ac collectis cruditatibus, colluctantur, hoc maior aeris flatuumque copia eructetur sit necesse. Nam cibus etiam optimus cum succis acris bilis, lymphæ pancreaticæ, ventriculi, ac intestinorum, in iisdemque hærentium cruditatum, mixtus, fermentescit, ac flatuosus redditur, aut sola etiam mora diuturniore aerem, quem continet, copiosius emittendo, bullat, & flatibus plerumque contumacibus materiam præbet. Atque hinc etiam petenda est ratio discriminis, quamobrem cibi quibusdam magis, aliis minus sint flatulenti, ac præfertim hypochondriaci atque scorbutici, qui alvo laborant duriore, ex omnibus prope alimentis copiosos gignant

gnant flatus, horumque tyrannidi præ aliis sint expo-
 fiti. Inter cibos vero illi in primis flatulenti sunt dicen-
 di, qui copiosiore in textum gerunt, emittuntque ae-
 rem, cuius farinæ sunt omnia fructuum fugacium ge-
 nera, item raphani, cepæ, fabæ, pisa, & eius generis
 varia alia, in quibus enarrandis prolixè occupatus est
Fienus l. c. c. 8. Sed sigillatim eadem, ac brevius comple-
 ctitur *Celsus de Med. L. II. c. 26.* Ita pisa recentia, cum uvis
 passis, tritis, aquave permixtis, vase conclusa, aere
 pleno, intra 20. dies hydrargyrum in Barometro ad 140
 digitorum altitudinem extulerunt: sub finem liqore
 pisis erupit, & vas tandem continens in frustra diffiliit.
 Eadem vero pisa, in vase aere vacuo, tantum produ-
 xerunt aeris, ut 24 horarum spatio hydrargyrum ad 30
 digitorum altitudinem attolleret. Idem effecerunt
 fabæ; atque ex pyris recentibus dissectis, in vacuo po-
 sitis, tantum erupit aeris, ut mercurium intra 2 men-
 ses ultra 100. digitorum altitudinem attollerent. Mino-
 rem vero copiam aeris fructus præbent exsiccati. Sed
 ex nullo prope modum alimento maior aeris copia,
 educitur, atque ex carne, præsertim bubula, idque
 maxime, cum putrescit, aliter atque in herbis & fru-
 ctibus observatur, qui, cum putrescere incipiunt, iam
 totum pene aerem suum perdididerunt; cuiusmodi qui-
 dem experimentis diutius haud immorabimur, cum ea-
 dem, aliaque plura, apud *Boylium* occurrant. *Exper. Nov.
 phys. mech. Contin. II.*

XIX

Jam vero illud quoque patet, quo pacto & quibus modis causæ illæ, quas Th. VIII. in medium adduximus, tympanitem excitare possint, ut haud videatur necesse singulas hic in memoriam revocare. Namque omnes eo collineant, ut aerem copiosius in canalem alimentorum introducant, atque ad *ὑμωσεν* humorum, luctationemque præternaturalem, & inde oriundam flatuum productionem, retentionemque, quædam magis, aliæ minus concurrant. Quare nunc ad Signa accedimus. De Diagnosticiis autem supra iam dictum fuit cumulatus in historia morbi, ejusque causis, ex quibus, quæ ad tumorem tympaniticum cognoscendum, atque ab aliis distingvendum tumoribus, qui quandam similitudinis speciem habent, faciunt, facile possunt intelligi. Illud saltem prætermittendum non est, quod etiam *Sennertus* noster monuit, a *Smetio l. c.* perperam pro tympania universali haberi inflationem illam universi corporis, quæ aer e vulnere thoracis, quasi e folle, inter integumenta communia, & musculos, penetrat, & undiquaque diffusus, pectus, dorsum, caput, palpebras, faciem, collum, lumbos, scrotum, brachia, cruraque reliqua inflat, & totum corporis habitum aere tumidum reddit. Cuius quidem generis tumorem Magnif. Dn. Præses ante annum, & quod excedit, observavit in quodam studioso, qui ab aere, ex inflicto vulnere a dextra pectoris parte in huius cavum, ex eoque per sinistram illius partem inter prædicta totius integumenta communia, subeunte, mox ita totus

intu-

intumuit, ut, quod de suo iuvene scribit *Smetius*, non solum in pectore, sed etiam dorso, ventre, lumbis, imprimisque scroto, præterea & brachiis, humeris, collo, vultuque, ut ne palpebras quidem diducere posset, quin etiam & vertice ipso, cutis ubique aere turgida, atque distenta, more columbarum, dum proesca parantur, inflatarum, compareret. Sed uti repentinus est eiusmodi tumor, sic etiam citissime cadit, ac evanescit, atque a vera tympania longissime differt, neque opus habet, ut in explicanda eius causa ad punctiorem nervorum, indeque excitatam indignationem *Archei* cum *Willisio* confugiamus, quum a solo intromisso per vulnus aere tumor iste pendeat, nihilque convulsivi, id quod consequi punctiorem nervorum deberet, coniunctum habeat.

XX.

Quod attinet ad Prognosin, merito tympanitis periculosus valde, atque perniciosus plerumque affectus habetur, quo sæpius ægros mori, quam servari videas. Quemadmodum ingenue fatetur *Doctiss. Puerarius*, se nullum unquam tympaniticum convalescentem vidisse, in *Add. ad Burnettii Thes. med. T. II. L. IIX. p. m. 126.* Nam pertinacem meatuum constipationem, & flatuum incarcerationem vix dissolubilem, ac gravem partium distentionem atque atoniam significat. Mitius tamen est malum, in quo venter tumet flatibus, in primis tantum viis consistentibus, quodque nullum morbum chronicum consequitur, & nec inveteratum est, neque funesta adeo symptomata, coniun-

ſta habet. Pro quorum quidem, cauſarumque varietate, nunc citius, nunc tardius aegrum conficit, & aliquando non ad plures tantum hebdomadas, ſed etiam menſes, annosque, protrahitur, uti *Foreſtus L. XIX. Obſ. 45. Mayerne Pr. L. III. c. 10. & Bonetus l. c.* teſtantur.

XXI.

In Curatione parum eos proficere videas, qui *Galenum*, aliosque, quos vera latuit origo flatuum, ſecuti, ad illos diſpellendos medicamenta, vulgo carminativa dicta, omnis generis, cum interiora, tum externa, vimque, ut ait *Williſius l. c.* plusquam Aeoliam, conquirunt. Tantum enim abeſt, ut quæ vulgo ſine diſcrimine adhiberi ſolent, carminativa, acria præſertim volatilia, ſive urinofa, ſulphurea, & aromatica tumorem illum minuant, ut eundem potius adaugeant, & contumaciorum reddant, ipſamque ſubinde afferant necem; quando non minus commotionem ac turgelcentiam humorum, quam copiam, & elaterem, ac impetum flatuum, ipſamque adeo inflationem & tenſionem ventris ita intendunt, ut inde æſtus, ſitisque ingens, & graves exoriantur anxietates, ac impedito tandem præ mole ventris thoracis motu, homo repente nonnunquam ſuffocetur. Ad hæc appoſite *Helmontius* inquit, *Tr. Ignot. Hydr. N. 45. Patet vanitas remediorum, atque inprimis carminantium, quæ convexum inteſtini non reſpiciunt. Fruſtraque ſingunt ventos diſcuti per extenuationem. In quam namque vento ſubtiliorem materiam ventos extenuari ſperant? quidve profuerit, ventum ſe ſubtiliorem donare, ſi maiorem tum locum requirat, & moleſtias tenſionis augeat.*

Et

Et porro idem *L. de Flat. N. 17.* ita pergit : *Si ventositates in nobis sint vapores , aut exhalationes , certe maior dolorum atque flatuum excitatio , & partium distensio sequetur , adhibitis contra ventos calidis , eo quod vapores auferri est necesse , cruciatusque tam propter distensionem , quam ventorum acrimoniam multiplicari .* Cum quibus conveniunt , quæ habet *CL. Wedelius de Med. Facult. L. II. S. II. c. 4.* *Non in quibusvis , inquam , flatulentis tenuissima , & potestate calida volatiliora opponenda , imprimis in hypochondriacis , seu , qui affectu $\Phi\upsilon\sigma\omega\delta\epsilon\iota$, id est , flatulento laborant , quibus sæpe & ut plurimum temperatiora conveniunt , quæ $\Phi\lambda\omicron\gamma\omega\sigma\iota\nu$, viscerum a salinis & nitro-sulphureis particulis fortam temperant ; unde hoc passu ipsa temperantia & refrigerantia quasi flatuum debellationi debentur , quatenus calidum innatum & hoc modo sibi restituunt .* Quo vero eo clarius appareat , quantum nocere hæc medendi ratio possit & soleat , non pigebit meminisse mulierculæ , quæ , ut annotavit *Fienus l. c. c. 21.* tympanite misere afflictæ , usu electuarii admodum calidi , quod discussioni flatuum attentus medicus familiaris præscripserat , in novum , tantumque incidit tumorem , ut totum inde pectus mirum in modum distenderetur , & paulo post afflictæ supremum obiret diem . Idem duobus aliis exemplis confirmat , *Tulpius Obs. med. L. II. c. 35.*

XXII.

Cardo autem Curationis in eo potissimum vertitur , ut non minus humorum colluctantium motus , quam inde productorum flatuum vis ac impetus temperetur , & cohibeatur , tum ut utriusque blande subducantur .

cantur. Quod ut recte fiat, accurata humorum turgescentium ratio habenda est. Cum enim in aliis alii peccare soleant, acres in primis, biliosi, & acidi, ac magis, vel minus tenaces, & viscidi, indaganda singulorum indoles, & convenientia quibusvis remedia ordinanda sunt. Hinc acida aliis, eaque macra, vel spiritu vini temperata, alias salia acria, eaque fixa, vel volatilia, simplicia, vel oleosa atque aromatica, aliis acido-acria, itemque terrea, & marina, plus minus salis volatilis occultantia, ut & ex antimonio, cinnabari & Marte confecta remedia, aliis gummeo-refinosa, mucilaginoso, gelatinosa, & blanda oleosa, aquosaque, profuisse experientia compertum est, prout nimirum indoles humorum vim temperandi, absorbendi, dissolvendi, diluendi, demulcendi, obtundendi, figendi, & requisivit. Ita tympanitici cuiusdam, acidorum condimentis curati, meminit *Osvv. Gremsius, Arb. integr. & ruinos. hom. L. II. C. I. §. 6.* Idemque Cantorem quendam tympaniticum, purgantibus frustra, nec sine damno, prius divexatum, valdeque sitientem, præter spem solo sanavit spiritu sulphuris, aqua fontana diluto. Huius quippe usu & sitis sedata, fuit, eaque copia flatus proruperit, ut venter inde brevi totus detumuerit, atque ad naturalem redierit magnitudinem. Sic etiam laudatus ante *Carolus* exemplum affert curati a se tympanitici, ope tincturæ rosarum, spiritus vitrioli quibusdam guttulis imprægnatæ, & iulepi, ex aq. portul. cichor. nymph. fir. de nymph. de papav. saleque prunell. & spir. sulph. confecti, interposito subinde usu emulsionis temperantis, vel decocti

hord.

hord. cum fir. de limon. & fale prunell. ac opiatae ex cryftall. miner. lap. cancr. vitrioloque mart. cum conserva ros. Ter etiam venam incidi curavit, quam quidem non temere negligendam esse putarim, ubi turgescentia febrilis coniuncta.

XXXIII.

Quemadmodum vero his in casibus acrimonia, haud dubie biliosa illarum turbarum causa fuit: ita si acidus, aliusve hostilis indolis, humor negotium faciescat, ex indicationum varietate convenientia alia remedia conquirenda erunt. Atque adeo cum iudicio & delectu intelligenda sunt, quæ de præcipiolo mercurii, mercurio diaphoretico, liqore e fl. tapfi barbati, in decocto sem & rad. fœnic. exhibendo, electuario ex rosata novell. cum diatr. fantal. & ovis formicarum, spiritu salis coagulato, spirituque croci irrorato, oleo viridi, spiritu tartari aperitivo, cum spir. lign. sanct. & rob. ebulli, spiritu terebinth. fale Ammon. lixiviiis e salibus fixis, cum, vel sine succo limon. millepedibus, cineribus bufonum, cortice peruv. atque essentiis, spiritibusque carminativis, *Paracelsus, Helmontius, Hartmannus, Anglicus, Hertodus, Febrius, Michaelis, Sachsus,* & alii prædicant. Nec minus iure suo a plerisque laudatur spir. nitri, præsertim dulcis, vi quippe donatus insigni temperandi æstum, & acrimoniam biliosam, ac incidendi, dissolvendi que tenacem pituitam, atque ex ea conflatas bullulas, quibus flatus detinentur. Ac multum omnino plerumque nitrosi tribuerim remediis, nec proinde contemnendas putarim species diaspolit. *Galenii*, cum & infarctam intestinis pituitam efficaciter detergant, flatusque propellant, & alyum præterea segniorem sui admoneant officii.

XXIV.

Neque enim tantum temperare humorum flatuumque vim ac impetum e re semper erit, sed & subinde eosdem blande subducere conveniet, hac quidem cautione, ne temere purgantia fortiora, cuiusmodi in ascite commendari solent, utamur. Hæc enim cum & intestina vehementer exstimulent, acresve, ac turgescentes in iisdem, tum canalibus quoque sanguineis contentos, humores exagitent, atque efferatioris reddant, ac totam non raro œconomiam corporis conturbent, graves plerumque noxas afferre solent. Ut dubitandum sit, an promissis æque respondeat vinum illud purgans *Epiph. Ferdinandi*, quod mirabile in tympanite, & tutum, atque saluberrimum vocat, *Hist. XLI*. Tutissime profecto lenientibus, & clysmis, sæpius iniiciendis, ad eluendam intestinorum proluviem utemur, quorum hi quidem optimi videntur, qui ex urina sani hominis, ex terebinthina, ovi vitello dissoluta, saleque prunellæ confiunt. Loco urinæ aliquando decocta emollientia & carminativa proficua erunt. Ex præcepto *Hippocratis* alvus subducenda oleo plurimo calido pingvi, cum per os, tum clystere iniecto; hoc enim acrimonia humorum, etiam demulcebitur.

XXV.

Hæc dum geruntur, felicior sperandus erit exitus, si quoque Topica, eaque nunc contemperantia, modo discutientia & calidiora, prout causæ morbificæ natura postulat, in auxilium advocentur, ventrique admoveantur. Inter multa celebre est fomentum calidum *Hartmanni*, ex sale prunellæ, urinæ pueri incocto, cuius felicem usum laudant *Grensius & Carolus de la Font. l. c.*

Willisius fotum commendat ex fl. sal. Ammon. & cryftall. foss. spiritu vini phlegmatico dissolutis, eoqve facto, cataplasma laudat ex fimo vaccino cum pulv. sterc. canin. vel empl. ex minio & sapone Veneto Refertqve *Helmontius* l. c. n. 45. *Cabrolium*, Chirurgum & Anatomicum Monspel. octogenarium sanasse fomento, bis in die adhibito, ex lixivio, in quo sal, alumen & sulphur incoxe- rat, superimposito deinde fimo vaccino. *Hippocrati* fo- menta sicca, ac in primis sal, aut milium torrefactum, in sacculis laneis familiaria erant. *de Dieta in acut.* Ceterum pro indicationum varietate varia quoque alia adhiberi possunt, nimirum fodus ex decocto sulphuris cum urina: sacculi ex sale, furfure, rad. zedoar. angelic. imperat. fol. absinth. sal. thym. puleg. parietar. mercurial. fl. sambuc. chamæm. melilot. bacc. laur. sem. lini, fœn. Gr. anis. cu- min. fœniculi: Litus & ungv. Agripp. Mar- tiat. de alth. de litharg. de mucilagin. succ. rutæ, absinth. sambuc. sem. apii, petroselin. cumin. ol. carminat. *Myn- sicht*. ros. nymph. amygd. dulc. chamæm. lil. alb. cappar. aneth. laur. lumbric. castor. succin. sal. papav. campho- ra, axungiis variis, & zibetho: Cataplasmata, ex catapl. de cineribus *Myns.* fermento, farin. lini, hord. allio, in vi- no generoso cocto, & contuso: Emplastra denique, ex carminat. *Sylv.* de bacc. laur. de sterc. caprin. vaccin. dia- phoret. *Myns.* Gummi Ammon. Galban. bdellio, & si- milibus. In quorum tamen omnium usu cura adhiben- da, ut convenientia cuiusvis casui topica, & vel tempe- rantia, vel discutientia, vel utrumque efficientia, eligan- tur.

XXVI.

Præter hæc exterius multæ cucurbitæ toti ventri,
aut

aut una magna cum multa flamma, sine scarificatione, abdomini post alvi purgationem affiguntur, duce & auctore *Galeno*, qui huic remediorum generi fere primas tribuit, eoqve, tanquam incantamento quodam, flatus loco moveri & discuti, doloremqve sedari, scribit. Sunt etiam, qui cucurbitulis scutellam terream, vel ligneam, aqua bulliente prius calefactam, & interius oleo nucum, vel communi illitam, substituunt. Quod si flatus nullum ab adhibitis clysmis, ceterisque propositis remediis, exitum inveniant, a quibusdam fistula follis fabrilis clausi ano inditur, & deinde follis diducitur, quo flatus ex intestinis per fistulam in utrem follis dilatatum compellantur. Alii apto instrumento inflationem tabaci in anū collaudant, de quo remedii genere *Deckerus* in *Exerc. pr. p. m. 704.* & *Stisseri Epist. de mach. fumiduct. curios. ad Soc. Reg. Anglic.* videantur.

XXVII.

His demum omnibus nihil proficientibus, incisio ventris ad peritonæum usque a quibusdam commendatur. Cui compunctionem, sive puncturam præferunt alii, si quidem cavo ventris flatus comprehendantur. Nec vero acupuncturam prorsus reformidandam esse, ubi flatus intestina obsident, Japones nos commonefaciunt, qui, uti *Bontius* refert, de *Med. Ind.* ex eoqve *Wilhelm. ten Rhynne Mantiss. Schemat. de Acupunct.* non minus in colica flatulenta, quam tympanite, flatibus hac chirurgia exitum procurant. Ac notum est in hernia intestinali, cum intestina flatibus distenta debitam manuum operam impediunt, illa acu cum successu perforari.

XXIIX.

Tandem, ne quid prætermisisse videamur, etiam de Diætæ ratione mentio facienda est. Et illa quidem causæ morbificæ contraria requiritur, pro cuius igitur varietate varie eadem ordinanda, dandaque erit opera, ut cum victu convenienti, tum motibus corporis & animi, debitaque fecum segregatione, hostiles corpori humorum collectiones, luctationesque prohibeantur, atque amica naturæ